VI. Idem Innocentius III. Lugd. [7] Archiepiſcopo [u], Apoſtolicæ Sedis Legato. [an. 1213. *Signiâ in Daniam.*]

u Idem D. Archidiac. Lundun. A. S. L.
x Cap. un. eod. tit. in IV. Compil.
y al. matrimonia.
z In uno vetuſtiſſimo exemplari ita: plures ſucceſſivè.

Qui plures habuit concubinas, ex eo Bigamus non eſt.

QUia circa [x] minima [y]: *Et infrà.* Sanè poſtulaſti per Sedem Apoſtolicam edoceri, ſi Presbyteri plures [z] concubinas habentes, Bigami cenſeantur. † Ad quod duximus reſpondendum, quòd cùm irregularitatem non incurrerint Bigamiæ; cum eis, tamquam ſimplici fornicatione notatis, quoad executionem Sacerdotalis officii poteris diſpenſare.

¶ Pith. [7] *Lugd.*] V. C. *Lugdunenſi*, vel *Lundunenſi Archidiacono.*

VII. Idem. [fortè c. an. 1215. *Romæ.*]

Subdiaconus, qui cum vidua contraxit, & eam cognovit; Bigamiæ pœnam incurrit, licèt Bigamus non ſit.

A Nobis fuit: *Et infrà.* Ille autem, qui in Subdiaconatûs ordine conſtitutus de facto tantùm (quia de Jure non potuit) duxit viduam in uxorem, profectò Bigamus non extitit: ſed nec viduæ poteſt in veritate dici maritus; cùm inter ipſum & illam non fuerit vinculum maritale contractum: cum eo tamen contra doctrinam Apoſtoli [a] tamquam cum marito viduæ diſpenſare non licet; non propter Sacramenti defectum, ſed propter affectum intentionis cum opere ſubſecuto.

a 1. ad Tim. cap. 3.

DE CLERICIS PEREGRINIS.

Titulus XXII.

I. Alexander III [a]. Cenoman. Epiſcopo. [c. an. 1170. *Româ in Galliam.*]

a In multis, Alexander IV. ſed falſa eſt inſcriptio: nam cùm hæc Compilatio facta eſt, nondum erat Alexander quartus creatus Papa.
b Cap. unic. eod. tit. in I. Compil. & habetur integrum poſt Conc. Later. ſub Alex. III. p. 26. c. 20.
c al. ita: qui ſimiliter, &c. al. ita: ſi ſimiliter ſunt in eo incogniti.

Ultramarini & valdè remoti Ordinationem ſuam probare debent per quinque Epiſcoporum ſigilla.

TUa nos [b] [1] duxit Fraternitas conſulendos, quid ſit agendum de Clericis, qui in remotis Regionibus ordinati, Literas eorum oſtendunt, à quibus ſibi proponunt manus impoſitas: & utrùm Epiſcoporum ſigilla ſint, quæ repræſentant, incertum exiſtit. † Tuæ igitur conſultationi reſpondemus, tutius eſſe, ut in his ſtatuta Patrum veterum obſerventur, quàm novum aliquid ſtatuatur. Statutum autem eſt de Tranſmarinis, ut ad minus quinque Epiſcoporum ſuper ordinatione ſua teſtimonio muniantur: quod in aliis (ſi ſimiliter ſunt incogniti [c]) credimus obſervandum; ita tamen, ut in ſuſpenſione aliquanto tempore habeantur, in quo plenius de actibus inſtruantur ipſorum. Sed & de inferioribus Ordinibus inquiri oportet: quia poſſet contingere, ut aliquibus prætermiſſis ſaltum feciſſent. His autem peractis, ſi digni inventi fuerint, circa eos poterit diſpenſari.

¶ Pith. [1] *Tua nos.*] Petrus Bleſenſis, *epiſt.* 54.

II. Innocentius III. Conſtantinopolitano Patriarchæ. [an. 1206. *Ferentino in Thraciam.*]

Clericus peregrinus, qui jurat ſe ordinatum; niſi aliter probet, in illo Ordine non ſuſcipietur, nec ad ſuperiores promovebitur.

d Cap. 1. eod. tit. in III. Compil.
e Tota hæc præfatio extat infrà cap. inter. 4. de major. & obed. ideò hîc non adſcribo, quod de ſimilibus admonitum volo.

INter [d] [2] quatuor: *Et infrà* [e]. Conſuluit nos iterùm tua Fraternitas, utrùm Clericos ad te ſine ſuorum Ordinatorum Literis venientes, & offerentes juramentum, quòd ſint in quovis Eccleſiaſticorum Ordinum conſtituti, debeas ad ſuperiores Ordines promovere. † Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quòd niſi de ipſorum ordinatione Canonica, per idonea tibi conſtiterit argumenta; eos nec in illis ſuſcipere, nec ad majores debes Ordines promovere, præſertim antequam converſatio eorum fuerit approbata.

¶ Pith. [2] *Inter.*] Centur. *tom.* 13. *pag.* 981.

III. Idem Patriarchæ Hieroſolymitano. [an. 1203. *Româ in Palæſtinam.*]

Peregrinus, de cujus Ordinatione non conſtat, non permittitur celebrare in publico, ſed in occulto ſic.

f Cap. 2. eod. tit. in III. Compil.
g In antiquis deeſt dictio in.

TUæ [f] Fraternitatis [*Et infrà α.*] Utrùm Clericos, qui ad partes Hieroſolymitanas ſine commendatitiis Literis veniunt, permittere debeas celebrare Divina: [*Et infrà β.*] † Reſpondemus, quòd niſi legitimè tibi conſtiterit, ſive per Literas, ſive per teſtes, de illorum ordinatione Canonica; qui penitùs ſunt ignoti, non debes ipſos permittere in [g] tuis plebibus celebrare: ſed ſi forſitan eorum aliqui ſecretò ex devotione celebrare voluerint, poteris ſuſtinere.

[*α Diſcretio poſtulavit per Sedem Apoſtolicam edoceri.*]

[*β Cum plerique eorum, de quorum Canonica Ordinatione non conſtat, ſtatim ut veniunt, præſumunt non expetitâ licentiâ celebrare.* Et infrà. *Nos autem tuam in Domino ſolicitudinem commendantes, ſuper primo articulo ſ. t.*]

IV. Honorius III. Regin. Epiſcopo. [c. an. 1220. *Româ in Æmiliam.*]

Inferiores Prælati, ſine Diœceſanorum conſenſu, in Eccleſiis ſuis peregrinos non poſſunt inſtituere.

h al. ſcientia, hoc eſt, facultate aut licentia.
i al. partibus.

TE nobis proponente didicimus, quòd quidam Prælati Eccleſiarum tuæ juriſdictionis, in Eccleſiis ſibi commiſſis ſine conſcientia [h] tua Clericos de alienis Epiſcopatibus [i] inſtituere non verentur. † Attendentes igitur id eis nulla ratione licere; cùm ſit honeſtati contrarium, & à ſanctorum Patrum inſtitutionibus alienum: [*Et infrà α.*] Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quòd tibi licet eos exinde removere; niſi aliquos ex diſpenſatione in eiſdem Eccleſiis duxeris dimittendos.

[*α Ad exemplar felicis record. Alex. Papæ prædeceſſoris noſtri, autoritate tibi Apoſtolica indulgemus, ut ſi qui Clerici de alienis Epiſcopatibus in Eccleſiis tuæ juriſdictionis, ſine conſcientia & aſſenſu tuo ſunt vel fuerint in poſterum inſtituti,*]

DE OFFICIO ARCHIDIACONI.

Titulus XXIII.

I. Ex Libro Romani Ordinis. [fortè c. an. 600. *Romæ.*]

Ponit quæ ſpectant ad officium Archidiaconi.

a Cap. 2. eod. tit. in I. Compil. Facit Conc. Aurelian. IV. c. 16.
b al. onere.
c Qualiter hodie viſitent Archidiaconi tradit Conc. Trident. ſeſſ. 24. in decr. de reform. c. 3.

UT Archidiaconus [a] [1] poſt Epiſcopum ſciat ſe Vicarium eſſe ejus in omnibus, & omnem curam in Clero (tam in urbe poſitorum, quàm eorum, qui per Parochias habitare noſcuntur) ad ſe pertinere, ſive de ordinatione, ſive honore [b] & reſtauratione Eccleſiarum, ſive doctrina Eccleſiaſticorum, vel ceterarum rerum ſtudio: & delinquentium rationem coram Deo redditurus eſt. Et ut de tertio in tertium annum, ſi Epiſcopus non poteſt, Parochiam univerſam circumeat [c]: & cuncta quæ emendatione indigent, ad vicem ſui Epiſcopi corrigat & emendet.

¶ Pith. [1] *Ut Archidiaconus.*] Vide *cap.* 7. *de vit. & honeſt. Cleric. cap.* 2. *de præbend. in* 5. *Collect. cap.* 7. *de præbend.* Sigebert. *Archidiaconi, qui dicuntur Chorepiſcopi.* Vide reſponſum Joan. Epiſcop. Cyn. *lib.* 3. *Jur. Oriental.*

II. Ex Concilio Toletano [d]. [fortè c. an. 633. *in Hiſpania.*]

Non ſummatur, ſed ponit quædam quæ ſpectant ad officium Archidiaconi.

d Cujus Concilii Toletani ſit, nondum inveni.
e Cap. 3. eod. tit. in I. Compil.
f Ut verbi gratiâ, bini, honeſtè, & demiſſo vultu.
g Quis ordo ſit Acolythorum in Eccleſia tradit Magiſter Sentent. lib. 4. diſt. 24. §. quarto loco.

Officium [e] [2] verò Archidiaconi eſt Evangelium quando voluerit legere, vel alicui de Diaconis præcipere: & quando Epiſcopus Miſſam canit, ad juſſionem illius induant ſe Levitæ veſtimentis ſacris: qualiter [f] cum Pontifice ad Miſſam procedant: [*Et infrà α.*] §. 1. Omne Eccleſiaſticum officium providendo, Lectiones aut Reſponſoria in matrice Eccleſia dare debet, & auſcultare; in tantùm ut nullus Evangelium, aut Epiſtolam, Reſponſoria, vel quamlibet in Eccleſia Lectionem legat vel cantet, donec auſcultare ab ipſo.

§. 2. Acolythos [g] quoque ipſe ordinet, quis eorum candelabra, quis thuribulum deferre, quive minorum in Eccleſia aliqua officia agere debeat.

[*α Omnem querimoniam, ſeu cauſam, vel juſtitiam Presbyterorum, vel Diaconorum, vel Subdiaconorum ipſe debet deliberare, ordinare & facere. Ideò verò ſtrenuus, providus, cautus, vicem ſui Epiſcopi agens, & Epiſcopi totius curam habeat, &*]

¶ Pith. [2] *Officium.*] *Ex Iſidor.*

III. Gregorius III. [3] Archid. Salonitano [4]. [imò Gregorius I. Honorato Subdiacono Salonitano, an. 590. *Româ in Dalmatiam.*]

h Gregorius I. Regiſtri, & cap. 1. eod. tit. in I. Compil. al. Salernitano Archidiacono, al. Diacono Salonitano, in olim Epiſt. al. Archidiac. Salonitano, Contius. Vide lib. 2. Epiſt. 15. Regiſtri, ex qua Gratian. diſt. 74. can. 4. Epiſt. 19. Vide diſt. 25. c. 1.

Cuſtodia vaſorum Eccleſiæ ſpectat ad Archidiaconum.

EA, quæ contra: *Et infrà.* † Scire verò te volumus quod à te diſtrictè quæſituri ſumus, quia vel propriæ Eccleſiæ, vel ea quæ de diverſis Eccleſiis cimilia ſunt collecta, non ſub omni ſolicitudine & fide ſervantur. Quòd ſi quid ex eis, vel negligentiâ, vel cujuſquam fraude deperiit; tu hoc reatu adſtringeris, qui per Archidiaconatûs ordinem cuſtodiæ ejuſdem Eccleſiæ arctius deputaris.

¶ Pith. [3] *Gregor. III.*] V. C. *Honorato.* [4] *Salonitano.*] V. C. *Salmatenſi.*

IV. Alexander III. Elien. Archidiacono. [c. an. 1174. *Româ in Angliam.*]

Archidiaconus ſine mandato Epiſcopi non committit curam animarum, id eſt, non habet inſtitutionem autorizabilem.

k Cap. 2. eod. tit. in I. Compil. & Gratian. Later. ſub Alex. III. Par. 26.
l Conc. & manſuet. inſtitutiones.

CUm ſatis [k] [5] ſit abſurdum, [*Et infrà α.*] † Quoniam igitur obtentu alicujus conſuetudinis, non debes contra ſanctorum Patrum conſtitutiones [l] venire, & quod ad tuum non ſpectat officium vendicare: Mandamus, ut nemini ſine licentia & mandato Epiſcopi curam præſumas committere animarum.

[*α Et à Sanctorum Patrum inſtitutionibus alienum, ut Archidiaconus autoritate propria, debeat cuilibet Eccleſiarum curam committere; ægrè nimis ferimus, quòd tu ſine mandato Epiſcopi tui perſonis curam animarum committis.*]

¶ Pith. [5] *Cum ſatis.*] Arnulph. Lexov. *Epiſt.* 49. Petrus Bleſenſis, *epiſt.* 54.

V. Idem Vigorieni Epiſcopo [m]. [c. an. 1176. *Româ in Angliam.*]

Archidiaconus de Jure communi non poteſt excommunicare. Ant. de But.

m Cap. 5. eod. tit. in I. Compil. & habetur poſt Concil. Lateran. ſub Alex. III. par. 36. c. 4.

ARchidiaconus [m] [6] non videtur de Eccleſiaſtica inſtitutione licere (niſi autoritas Epiſcoporum acceſſerit) in aliquos ſententiam promulgare.

¶ Pith. [6] *Archidiaconis.*] Matth. Paris, 134. Centur. *tom.* 13. *pag.* 848.

VI. Idem Epiſcopo Conventren. & Abbati Ceſtren. [c. an. 1178. *Româ in Angliam.*]

Archidiaconus ſemel in anno (niſi neceſſitas exigat plus) viſitat ſuam provinciam, id eſt, Parochiam. Hoc dicit.

n Habetur poſt Concil. Lateran. ſub Alex. III. par. 2. c. 11. Vide Conc. Trident. ſuprà citatum eod. c. 1.

MAndamus [n] [7] quatenus prohibeatis Ceſtren. Archidiacono ne ad Eccleſias ſui Archidiaconatûs viſitandas, niſi ſemel in anno accedat: Niſi fortè talis cauſa emerſerit, propter quam ipſum oporteat præfatas Eccleſias ſæpiùs viſitare.

¶ Pith. [7] *Mandamus.*] Synod. Londenſ. Matth. Paris, *pag.* 616.

VII. Innocentius III. [fortè c. an. 1214. *Romæ.*]

Dicit primò quod ſit officium Archidiaconi, & in quo per illud relevetur Epiſcopus. Et ſecundò dicit Decanos Rurales per Epiſcopum & Archidiaconum eligendos & amovendos, ſi illorum vices communiter gerant.

o Cap. 1. eod. tit. in IV. Compil.
p In omnibus antiquis legitur: Ad hæc nos Dominus. al. docuimus.
q Non tamen judicant Archidiaconi cauſas matrimonii & criminum, Conc. Trid. ſeſſ. 24. decr. de reform. c. 20. §. ad hæc: nec cauſas concubinatûs, idem Conc. Trid. Seſſ. 25. in Decr. de Reform. c. 12.
r Concord. Conc. Trident. ſeſſ. 24. in Decr. de Reform. c. 24. ubi habes quales creari debeant Archidiaconi.

AD hæc [o] nos dicimus [p]: *Et infrà.* §. 1. Sanè conſuluit nos tuæ Fraternitatis devotio, quid ad officium Archidiaconi debeat pertinere, & in quibus per ipſum cura Epiſcopalis ſolicitudinis debeat relevari: & nos prout poſſumus reſpondemus, quòd Archidiaconus (ſecundùm ſtatuta beati Iſidori) imperat Subdiaconibus & Levitis: Parochiarum ſolicitudo, & earum ordinatio ad ipſum pertinet: & audire debet jurgia [q] ſingulorum. §. 2. Archipresbyteri autem, qui à pluribus Decani nuncupantur, ejus juriſdictioni ſe noverint ſubjacere [8]. §. 3. Secundùm verò Romani Ordinis conſtitutionem, major poſt Epiſcopum, & ipſius Epiſcopi Vicarius reperitur, omnem ſolicitudinem & curam, tam in Clericis, quàm in Eccleſiis eorum (prout meliùs ſecundùm Deum poterit) impendendo; cùm ſuper his ſit redditurus rationem in diſtricti examinis judicio. §. 4. Item in Epiſtola beati Clementis prædeceſſoris noſtri, oculus [r] Epiſcopi Archidiaconus appellatur: ut loco Epiſcopi per Epiſcopatum proſpiciens, quæ corrigenda viderit, corrigat & emendet: niſi adeò fuerint ardua negotia, quòd abſque Majoris ſui præſentia nequeant terminari. §. 5. In quadam verò noſtra conſtitutione jam alia vice nos meminimus expreſſiſſe, quòd inſtitutio corporalis, tam ſuper Beneficiis, quàm etiam Dignitatibus ad ipſum debeat pertinere: examinatio etiam Clericorum, ſi fuerint ad ſacros Ordines promovendi: & hoc idem in collationibus Beneficiorum credimus obſervandum; ut qui Beneficiis Eccleſiaſticis præficiendi fuerint, à ſuo priùs examinentur Archidiacono, & per ipſum poſtmodum Epiſcopo præſententur. §. 6. Subſequenter poſteà quæſiviſti utrùm Decani Rurales, qui pro tempore ſtatuuntur, ad mandatum tuum ſolum, vel Archidiaconi, vel etiam utriuſque inſtitui debeant vel deſtitui, ſi fuerint amovendi. † Ad hoc breviter reſpondemus, quòd cùm ab omnibus, quod omnes tangit, approbari debeat; & cùm commune eorum Decanus officium exerceat; communiter eſt eligendus, vel etiam amovendus.

¶ Pith. [8] *Se noverint ſubjacere.*] Arnulf. Lexov. *pag.* 49. Sigebert.

VIII. Idem. [an. 1199. *Româ in Venetiam.*]

Archidiaconus non dat Commendatitias ad Ordines.

ſ Cap. 2. eod. tit. in IV. Compil.
t al. diſcretè.
u In magis vetuſtis ita: executiones eis ordinum taliter ſuſceptorum interdicas.

SIgnificaſti [ſ]: *Et infrà.* Interdicas Archidiacono tuo, ne ſine conſcientia tua & autoritate Literas ſuas promovendis concedat. Et eis etiam diſtrictè [t] prohibeas, ne ad Ordines audeant convolare. Qui ſi contra prohibitionem tuam venire præſumpſerint, executionem eis Ordinum ſuſceptorum totaliter interdicas [u].

IX. Idem [Mediolanen. Archiepiſcopo an. 1198. *Peruſio in Inſubriam.*]

Archidiaconus examinat & præſentat Ordinandos, & ponit Prælatos in ſede.

x Cap. 3. eod. tit. in IV. Compil.
y Prodeat de vultu Dei judicium, &c. infrà, c. ut noſtrum, de appellatio. & c. ut noſtrum, ut Eccle. be. ſ. de. conferantur.
z In vetuſtioribus, præſentare.

UT [x] noſtrum [y]: *Et infrà.* Nec fuit ſufficienter probatum, quòd Cancellarius ex officio ſuo exerceat ſpiritualia memorata: cùm ea potiùs de Jure communi ad Archidiaconi ſpectent officium, repræſentare [z] videlicet Ordinandos Epiſcopo, & illos examinare; ponere Abbates & Abbatiſſas in ſede.

X. Honorius III. Abbati Ariminen. [9] Trecen. Diœceſis, & Archidiacono & Decano Sancti Stephani Trecen. [c. an. 1220. *Româ in Galliam.*]

Archidiaconi in Monaſteriis juriſdictionem non habent, niſi quantùm tribuit eis generalis vel ſpecialis conſuetudo.

a Eſt autem procuratio neceſſariorum ſumptuum exhibitio, quæ debetur Prælatis Diœceſim ſeu ſubditos viſitantibus.
b idem.
c Quid in viſitatione præſtare debeant Prælati tradit Concil. Trident. ſeſſ. 24. de refor. c. 3.
d Archiepiſcopi.

DIlecto filio: *Et infrà.* Ad petitionem Archidiaconi Senon. conquerentis, quòd Abbas & Conventus Monaſterii Sancti Petri Senon. procurationem [a] annuam, & quædam alia, ratione ſui Archidiaconatûs ad ipſum ſpectantia, exhiberi ſibi contra juſtitiam denegabant: Abbati Sancti Criſpini & Collegis ejus dedimus in mandatis, ut audirent cauſam, & fine debito terminarent. Coram quibus petiit prædictus Archidiaconus, ut cùm [b] Monaſterium infra metas ſui Archidiaconatûs ſit ſitum, Abbas & Monachi ſibi obedirent in his, quæ pertinent ad juriſdictionem, correctionem, & viſitationem: ad jus (ut dicebat) Archidiaconale ſpectantes, videlicet ut coram ſe conquerentibus reſponderent: citati etiam venirent ad ejus præſentiam: & ejus mandata honeſta [c] & ſancta ſecundùm Deum de correctione exceſſuum, & aliis, quæ Archidiaconi ſolent & poſſunt rationabiliter injungere, audituri, & (ſalvâ ſuâ Regulâ, & Abbatis ſui debitâ obedientiâ) ſervaturi. Petiit inſuper ne de cetero facerent aliquos de Senon. [d] Baillivia, eo prætermiſſo, coram Officiali Senon. Archiepiſcopi conveniri; aſſerens illos priùs debere conveniri ſub ipſo, quàm coram Officiali prædicto: ſpecialibus ipſius Archiepiſcopi & hominum ac familiæ ſuæ cauſis dumtaxat exceptis. [*Et infrà α.*] † Ideòque Diſc. veſtræ mandamus, quatenus per majores Eccleſiæ Senon. Canonicos, qui habere debent de hujuſmodi conſuetudine notitiam pleniorem, ſuper his ſolicitè veritatem inquiratis: & niſi vobis conſtiterit præfatum Archidiaconum vel Prædeceſſores ipſius, de pacifica ſic obtenta conſuetudine, juriſdictionem aliquam in ipſo Monaſterio, vel in hujuſmodi Abbatiis hactenus habuiſſe; præfatum Monaſterium ab ejus impetitione penitùs abſolvatis, perpetuum ſuper hoc ipſi Archidiacono ſilentium imponentes. Si verò de præmiſſis conſtiterit per eoſdem; eamdem juriſdictionem dumtaxat adjudicantes eidem, in Monaſterio ſupradicto, quam ipſum vel Prædeceſſores ſuos in Monaſterio ipſo, vel in eiſdem Abbatiis habuiſſe conſtiterit, ſuper aliis perpetuum ei ſilentium imponatis.

[*α Lite ergo ſuper præmiſſis coram præfatis Judicibus legitimè conteſtatâ, & auditis ab eiſdem hinc inde propoſitis; iidem Judices de utriuſque Partis aſſenſu, cauſam ipſam ad examen Apoſtolicum remiſerunt. Ipſis ergo Abbate & Archidiacono in noſtra præſentia conſtitutis, nos attendentes eorum conſuetudines eſſe ſuper Archidiaconi juriſdictione diverſas, cum in hoc caſu neſciremus conſuetudinem, quâ in Abbatiis Senonenſibus Ordinis præfati Monaſterii utitur Archidiaconus Senon. finalem habere nequivimus in hujuſmodi quæſtione proceſſum. Volentes autem ut eidem quæſtioni finis debitus imponatur, cauſam ipſam vobis de ipſius Abbatis & Procuratoris alterius Partis aſſenſu duximus committendam.*]

¶ Pith. [9] *Ariminenſi.*] *Arremarenſi:* Gallicè, *Montieramey.*

DE OFFICIO ARCHIPRESBYTERI.

Titulus XXIV.

I. Ex Concilio Toletano. [fortè c. an. 633. *in Hiſpania.*]

Archipresbyter Civitatis ſubeſt Archidiacono: & principaliter præeſt Presbyteris, & Presbyteralibus officiis.

a Burch. l. 3. c. 50 Ivo, p. 6. c. 20. & cap. 1. eod. tit. in 1. Compil. Iſidor. in Epiſt. ad Leudefredum Epiſcopum Cordubenſem & Grat. diſt. 25. can. 1.
b officium in manuſcriptis.
c vox, Presbyterali, deeſt in antiquis.
d vox animarum, deeſt in antiquis, & in locis initio cap. citatis

UT Archipresbyter [a] [1] ſciat ſe ſubeſſe Archidiacono, & ejus præceptis ſicut ſui Epiſcopi obedire: & quòd ſpecialiter ad ejus pertinet miniſterium [b], ſuper omnes Presbyteros in ordine Presbyterali [c] poſitos curam agere animarum [d]: & aſſiduè in Eccleſia ſtare: & in Epiſcopi ſui abſentia ad vicem ejus Miſſarum ſolennia celebret, & collectam dicat, aut cui ipſe injunxerit.

¶ Pith. [1] *Ut Archipresbyter.*] Iſidor. *Epiſt. ad Leudefrid. Epiſc. Cordub.* Vid. *Hiſtor. S. Amand.* Arnulf. Lexov. *Epiſt.* 49. *can. perlectis*, *diſt.* 25.

II. Leo Papa [2]. [fortè IV. c. an. 850. *Romæ.*]

Ad idem.

e Cap. 2. eod. tit. in 1. Compil Vide Conc. Trident. infrà citatum.
f Sacerdotes Cardinales hoc loco non urbis tantùm Romæ, ſed aliarum etiam civitatum primos interpretamur, quibus Tituli, hoc eſt, Parochiæ committuntur.

MIniſterium [e] Archipresbyteri in eo conſtituitur, ut diligenti cura provideat miniſterium Sacerdotum Cardinalium [f], qui ſolenne debent agere officium in communicatione Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, à ſacroſancto die Dominico incipiendo, per omnes Horas Canonicas indeclinabiliter perſeverent, ut opus Dei dignè & ſanctè perficiatur ab eo, cui committitur: [*Et infrà α.*]

§. 1. Provideat etiam Archipresbyter vitam Sacerdotum Cardinalium, præceptis ſui obtemperando Epiſcopi, ne aliquando cedant, aut ſcurrilitate torpeant: [*Et infrà β.*] §. 2. Si Epiſcopus defuerit (exceptis his, quæ prohibita ſunt) Archipresbyter provideat cuncta, quæ in Sacerdotum miniſterio perfici debeant; fontes benedicere; infirmum oleo perungere; pœnitentem infirmum (conſulto Epiſcopo) reconciliare; pœnitentiam cunctis aliis Sacerdotibus injungere. §. 3. In præcipuis Feſtivitatibus, aut ipſe celebrationem Miſſæ ſolenniter impleat, aut ad ſui juſſionem cui committitur, peragat veneranter.

[*α Verens ſententiam illius Sapientiſſimi, ubi dicitur: Maledictus homo, qui negligenter facit opera Dei.*]

[*β Et reminiſcantur quòd labia Sacerdotum cuſtodiunt ſcientiam, & Legem requirunt ex ore ejus; quia Angelus Domini exercituum eſt.*]

¶ Pith. [2] *Leo Papa.*] IX. Ivo, *part.* 2. *c.* 85. *can.* 1. & *can. peracta*, & *can. compatimur, de conſecr. diſt.* 2.